

Ut cōlocet eum cum principib⁹, * cum principib⁹ populi sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiorum lætántem.

Psalmus 121.

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ aedificátur ut cívitas : * cujus participatio ejus in idíspum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimonium Israel ad confitendum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Psalmus 126.

NISI Dóminus aedificáverit domum, * in vanum labo-ravérunt qui aedificant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vigilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui man-ducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce heréditas Dómini filii : merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu poténtis : * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loqué-tur inimícis suis in porta.

Psalmus 147.

LAUDA Jerúsalem Dómi-num : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit se-ras portárum tuárum : * be-nédixit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pa-cem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.